lati. Eodem anno Alfonsus comes Pictaviensis frater tercius post regem navigans ad ipsum pervenit relicta matre domina[a] Blancha ad custodiam regni. MCCXLIX rex Henricus bellicosus valde captus est a Bononiensibus et usque ad finem vite sue in carcere detinetur. Eodem anno castrum Montis Silicis Federicus tradidit Ezelino; deinde obtinuit burgum Estense et fortalitia marchionis.

III particula de captione Damiate rubrica sequitur.[b]

[E]odem anno rex Lodovicus post longa[c] moram in Cypro Damiatam properat. Et cum ad civitatem appropinquasset, exercitus in anchoris stetit. Videt portum Turchorum multitudine tam equitum quam peditum repletum et galeis similiter. Tunc Christiani deliberant in crastino summo mane exire in insulam. In crastino igitur vexillo crucis erecto ipsius auxilio consequi sperant triumphum. Cum vero non possent ad terram applicare naves propter aque parvitatem, quidam fidei fervore cum armis [est] in[d] aquam[e] se mittunt resistentibus paganis lanceis et sagittis, quibus magis[f] angetur quam terretur fidelium audacia, ita ut territi inimici ad civita-

a) dña C.

b) die Überschrift glänzend rot (mit Mennige)

c) cir C.

d) est C. e) aqm C.

f) mag C.